

NOBILI AC GENEROSO DO. OTHONI TRUCHSES
à Vualburg, Spirensis ecclesiæ Canonico, Domino
suo, Iacobus Micyllus s. D.



V M pro humanitate, nobiliss. Otho, qua tum, cū primum in conspectum tibi uenissem, abs te acceptus fui, eximiam quandam de tua excellenti uirtute spem cōcepissem. Ex eo iam diu cogitare cœpi, quo pacto eidem tibi, ita ut dignum erat, itaq; ut meritus esses, commendare me possem. Nam cum ubiq; plurimum prodest eorum hominum fauorem ac gratiam emereri, qui quod genere ac opibus reliquis præstant, eo aliorum studia atq; conatus prouehere possunt: tum hoc tempore in primis circumspicere omnes nos merito decet, ut contemptis & profligatis hisce nostris studijs, patronos ac defensores idoneos passim paremus. Adeo enim loci (siue hoc ira deorū aliqua, siue nostra potius culpa factum esse dicendum est) præclaræ illæ literæ, & à ueteribus solæ humanitatis uocabulo prædicatæ iterū reciderunt, ut si unquam magnorum atq; potentum hominum auxilio opus habuerūt, hoc certe iniquiss. tempore, illorū opem maxime implorare uideantur. Atq; ea quidem tum eruditio, tum uirtus tua est, ut non merito omnia illa quæ à summo atq; optimo quoq; expectari debent, de tua præstantia ipse mihi pollicear. Qui primum eo genere natus, atq; ijs imaginibus clarus es, ut nemini superiorum, aut etiam præscorum hominum nobilitati facile cedas. Deinde autem tanta cura ac diligentia in bonis literis iamdiu uersatus & exercitatus es, ut quod ad ueram ac solidam uirtutem attinet, id omne labore ac studio tuo tibi compararis. Ex qua re etiam eo maiorem laudem consecutus es, quod discendi laborem, quem pleriq; uestrorum hominum contemptu, alij autem ignauia etiam quadam declinant ac uitant, eum tu in tanta generis atq; maiorum claritudine suscipiendum ac persequendum tibi putasti: Et, quod raro ista ætate contingere uidemus, cum summo genere summam doctrinam coniunxisti. Cæterum ut in excellentibus picturis etiam colorum splendor & harmonia, gratiæ non parum addit, totumq; ipsum argumētum & artificis uirtutem illustriorem quodammodo reddit: Ita ipsam uirtutem quoque uidemus, si cum generis ac uitæ nobilitate coniuncta, & externis illis fortunæ dotibus illustrata sit, nescio quo pacto excellentiorem simul & admirabiliorem uideri. Non enim Stoici, opinor, illi audiendi sunt, qui ut nudam omnino per se uirtutem spectandam esse, ita externam fortunam, ut nihil ad parandam illam conferre, sic etiam nocere sæpenumero, & ob id reiiciendam esse contendunt. Quorum doctrina ut ab Aristotele, ac alijs quibusdam iam olim confutata atque explosa est, ita mihi certe uidetur, imo & exemplis quotidie comperimur, ubi utrūq; horū

¶ 2 cum